



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Nicasius Ep. & Eutropia V. MM. 14. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

dominos suos, sed domini opes suas, & quam aliis invitis mors aufert coronam, ultrò ab his abjiciebatur. Denique rex sibi videbatur, non qui regnum coactus adiit germanus, sed JODOCVS, qui regno subduxit sese, & in Galliam aufugit. Hic ille sibi scilicet imperavit, sed & feris non multò pòst, quas obsequentes illi cælum voluit esse. Illud perjucundum accidit, cùm fami placandæ ultimum subsidium panis unicus in penu fuit, & hunc in IV. partes à JODOCO sectum CHRISTVS alium identidem atque alium pauperem præferens unus omnes piissimâ fraude asportavit. Negabant id rectè factum esse discipuli. Sed rectius illos edocuit magister, cùm pro IV. è pane frustulis, secundo flumine descendere submissas à cælo totidem naviculas frumentarias ostendit. Demum sacris operanti manus è cælo bene visa est dicere, quæ quòd terrena regna despexisset, cælestia promisit. Hæc demum placuere JODOCO, potitusque his est anno DCLIII. LX. omnino annos in tumulto integer, virtute in JODOCO faciente, quod in viris principibus aliis balsama faciunt. *Ex Flor. Abb.*

Amemus vitam æternam, & ex eo noverimus, quantum pro illâ laborare debeamus, cùm videmus homines amatores præsentis vitæ sic pro illâ laborare, ut, cùm venerit metus mortis, quidquid possunt, faciant, non ut auferant, sed ut differant mortem.
S. August. serm. 64. de verb. Dom.

SS. NICASIVS EP. & EUTROPIA V. MM.
14 Decembris.

Quid ni animos etiam tu Lector ad pugnam sumis, toties qui sanguinem Martyrū vides?
Hic

Hic NICASII Rhemensis Pont. & sororis ejusdem germanæ EUTROPIÆ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flagellabat Gallias dux barbarus, jamque Rhemenlibus etiam malum minabatur, cum cives ad asylon suum NICASIVM confugerunt. Ille exitium urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoque exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suavit, neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ hucusque ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus EUTROPIA stipante obviam hosti ad D. VIRGINIS progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cum formæ miles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos carnificis involat, mortemque invitam in se armat. Interea contra barbaros cælum movit, cujus copiarum visæ, simul iratarum è templo voces in fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terram tegerentur, splendore olim his ipsis certatura. *Ex Surio.*

Carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritia restitisse; de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. Ergo si tormenta Martyrum perferre non possumus, vel contra malas concupiscentias repugnemus. S. Aug. serm. 4. de Mart.

S. DACHATIUS M. 15. Decembris.

DACHATIVS Palæstinus sex fratres germanos fertur numerasse, ipse septimus, imò inter
C c s omnes